SOLAMEN
VIRO
NOBILISS. EXCELL. EXPERIENTISS.
DOMINO
GEORG. PETRO SCHVLTZIO
MEDIC. ET PHILOS. DOCTORI,
NEC NON
GYMN. THOR. PRO-RECT. ET PROF. PVBL.
FAMIGERATISSIMO
IN EXEQVIIS
MATRONAE PRAENOBILIS ET OMNIBVS VIRTVTIBVS ORNATISSIMAE,
CONIVGIS INCOMPARABILIS
d. 29: AUG. A. R. S. M. DCC. XXXVI.
ADHIBERE VOLUIT
SVMMAMQVE CONTESTARI OBSERVANTIAM
HELICON THORVNENSIS.

THORVNII
Impressit Ioh. Nicolai NOBIL. SENAT. & GYMN. Typographus.

QVæ Tibi, *Magne Virum*, præſtent ſolatia Muſæ?
Quæ ſimul enormi apponant fomenta dolori?
Maximus eſt etenim, tanto & prægnantior eſſe
Creditur, exanimata jacet quod ſortis alumna,
Atque vagos manes adiit ſvaviſſima Conjunx.
Hic nobis quam difficile eſt afferre medelam,
Ac ſedare animum! Veterum ſunt frigida certe
Somnia, quæ Arpinas facundo protulit ore,
Qvæve Plato luſit, qvamvis cupit ille videri
Seria jactare, & quemvis ſuperare dolorem.
Nam quid ait? Mortalis erat, quem plangis ademtum;
Flectitur haud *Atropos*, ſpernit Libitina querelas;
Hac natura parens nos lege immiſit in orbem,
Exire ut ſit opus, manesque ſubire ſilentes.
Plura exempla dabit Plutarchus, quamlibet ille
Non ſit de trivio ſophus, atque altiſſima ſpiret.
Hæc & *Epictetus* congeſſit & Antoninus,
Auguſtam plane Sophiam qui condidit olim.
Exiles animæ! Non hæc ſolatia vulnus
*Per*ſanare queunt, non hic Plato proficit hilum.
Qvid ſi etenim victum variis cruciatibus ægrum
Compellet Medicus: Fruſtra quereris que gemisque,
Nam Tuus hic nulla eſt morbus medicabilis arte:
Exangue eſt corpus, tota & natura fatiſcit:
Tum quid quæſo juvat magnos impendere ſumtus?
Heredes fruſtrabis enim, non funus ut illi
Deplorent, verum ut miſeri ſua damna querantur,
Hæc ſi quis dicat Medicus geminetque loquendo,
Quis non hunc Medici indignum cognomine clamet?

Non

Non aliter sensere sophi, puerilia sæpe
Sectati, divina tamen dixisse putarunt.
His Samius pejora dedit commenta, reclusas
Corpore commigrare animas, variasque subire
In numerum formas pecudum; qui Martia tela
Gesserat, hunc gallum fieri; cui sæva latronis
Mens fuit, huncce lupum fieri milvumque rapacem.
Hæc recitasse quidem satis est, molimine magno
Nil opus est convincere, habet sua lumina Phœbus,
Queis frustra est peregrinum aliunde affundere lu-
men.
Felices o Christi colas, meritoque beatos,
Queis meliora quidem divina volumina pandunt.
Hæc monstrant, quo flectat iter mens corpore cassa,
Quo duce ad æternas possit pertingere sedes,
Quis purgata modis, ablutaque sangvine Christi,
Immota subnixa fide, transcendere mundum
Fas sit, & æternum totoque Tonante fruisci.
Hæc vera est Sophie, quæ non adversa tremiscit,
Non mortem, non & Siculi tormenta Tyranni.
Si tamen accedat fidei divina voluntas,
Cuncta subesse dei arbitrio, nil posse reniti,
Cunctaque ad optatum tandem perducere finem;
Tunc immota quies animo subnascitur, omnis
Expirat formido mali, stat credere certum,
Numina cum bona sint tantum bona velle, nihilq;
Intentare, piis forsan quod possit obesse.
Ac veluti Medicus, morbos depellere doctus,
Omne tulit punctum, ac socios supereminet omnes,
Si cito, si tuto, si norit svave mederi:
Sic majore gradu Termaximus Arbiter orbis,
Atque idem summus Medicus properare suevit

Gaudia

Gaudia, nec fidos homines spe lactat inani;
Constanter fovet ille suos, ac tuta ministrat
Pocula, quæ vitam reddant longamque salutem;
Nectar adhæc miscet, nullo quod transeat ævo,
quod ferat ætatem, possitque in secula magnam
Exsaturare sitim, ac validas superaddere vires.
Hæc fuerant dilecte deo, spes magna Lycei,
Quæ Pimplea Tuis graviter suggessit alumnis
Sanctior, ut firmare animum per dura potessis
Evectus, Numenque sequi, ac lenire dolorem.
Iamque voluntati Superum permitte vicissim
Fata Tua, & vitam, famam, luctumque potentem:
Dic animo invicto: Celsi Moderator Olympi,
Quo me cunque placet deducere, protinus ibo:
Sive adversa forent, certum est perferre; secunda
Sive mihi assignes, hæc grata mente tenebo.
Qvod reliquum est, Temet nostris servare memento
Ingeniis; lacrymas cohibe; sis Numine fretus,
Et vires duplicare Tuas, & posse fovere
Amplius, ut viridem contingas rite senectam.

